


05

A

1648





Cum Jesu!

28

DISPUTATIO LOGICA
De
ANTEPRÆDICAMENTIS,

Quam

IN FLORENTISSIMA WITTEBERGENSI
ACADEMIA,


PRÆSIDE

M. DAVIDE GROSIO MITT-
WEIDA - MISNICO,

PUBLICÆ AD DISP.UTANDUM
PROPONIT

FRIDERICUS SCHINDTLERUS
Fravvensteinensis Misnicus.

Ad diem 29. Januar. horis antemeridianis,
In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendt Anno M DC XLVIII.

Fridericus Schindlerus

ag

V I R O
ADMODUM REVERENDO, CLA-
RISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
Dn. BALTHASARI BALDUINO,
S.S. Theologiæ Doctori celeberrimo, Pastori
ac Superintendenti Dioeceseos Cygnæ
vigilantissimo, meritissimo.

Uti &
V I R O
Reverendo, Humanissimo & Clarissimo
Dn. M. CHRISTIANO HEIDENIO PASTORI
Ecclesiæ Kirchbergensis vigilantissimo &c. Avunculo
honoratissimo.

Nec non
VIRIS
*Eximii, Doctissimi, Prudentissimi, longoq; rerum
tractandarum usu exercitatisimis &c.*
Dn CHRISTIANO SCHEUTZELIO Prætori Civi-
tatis Nivimontanæ gravissimo &c.
Dn. BARTHOLOMÆO PFENDNERO, Not. Publi
Cæs. ejusdemq; Reipubl. Actuario dignissimo.

*Dannn. Patronis, Evergetis & Promotoribus
debita submissione jugiter colendis, omniq;
honoris cultu atatem maclandis*




05 A 1648

Exercitium hoc Academicum in gratæ
mentis testimonium, & ulterioris stu-
diorum promotionis incitamentum,
eâ, quâ par est, reverentiâ atque hu-
militate dedicatum offert

Fridericus Schindtlerus.

DISPUTATIO LOGICA
De
ANTEPRÆDICAMENTIS.

THESIS I.



ANTEPRÆDICAMENTA nihil aliud sunt, quàm totius Logicæ principia, quæ fundamenta prædicandi ex habitudine terminorum simplicium eruunt, indeq; modum prædicandi affirmativum monstrant atque declarant.

THESIS II.

Tradunt ea, & explicant Æquivoca, Synonyma & Paronyma.

THESIS III.

HOMONYMA dicuntur, quorum nomen solum commune: ipsa verò ad nomen accommodata definitio, aut substantiæ ratio diversa. Sic animal terrestre & sydus cœleste dicuntur *canis*, & ita quoad nomen hoc conveniunt; licet quoad definitionem longè discrepent.

THESIS IV.

SYNONYMA dicuntur; quorum & nomen commune est, & ratio Substantiæ seu Definitio nomini accommodata eadem. Ut, *homo*, *brutum*, dicuntur *animalia* tam nomine, quàm retenus. Sunt enim animalia, & definitione & formali ratione animalis gaudent.

THESIS V.

Inter Homonyma & Synonyma sunt intermedia ea, quæ sub communi ad unum continentur, & vocantur aliàs ANALOGA.

THESIS VI.

Definiuntur autem, quod nomen habeant commune; & secundum illud rationem aliquatenus communem, ordine aliquo participatam, obtineant. Sic *Ens* primò & per se dicitur de Substantia; secundariò verò de Accidentibus.

THESIS VII.

PARONYMA dicuntur, quæcunq; ab aliquo discrepantia

casu juxta nomen illud appellationem habent, Ut *doctus* à doctrina, *fortis* à fortitudine.

Quæstio I.

AN ANTEPRÆDICAMENTA per se sint essentialis Logicæ pars?

Πρόλογος. Negant D. Colonienses, Favellus, Porreutinus, & quotquot protheoriam quandam ac præparationem duntaxat ad ipsorum prædicamentorum intelligentiam utilem faciunt, ut *Tolet. in Prædic. l. 1. prælud. c. 1. Regius l. 2. Disp. Logic. probl. 2. Henric. Nicolai Gymn. Log. diatr. 4. §. 10. Jung. de Antep. p. 19. & omnes ferè communiter. Affirmat Dn. D. Scharf. in Colleg. 1. Exeg. Log. Perip. Exerc. 2. l. 1. sect. 1. cap. 1. art. 1. Institut. Logic. l. 1. tract. 1. & in Lima Log. Hamb. cap. 2. p. 34. seqq.*

Ἀνάλογος. Quemadmodum non omne, uti communissimum, ita verissimum: Sic & hoc loco multitudo errantium veritati nil poterit præjudicare. Cum enim doctrina *Æquivocorum, Synonymorum* ac *Paronymorum*, quam Aristot. statim in limine Organi Logici proposuit, tradat modum prædicandi Synonymicum & Paronymicum, non nuda erit præparatio ad Prædicamentorum doctrinam eò rectius intelligendam utilis ac necessaria: sed amplius quid præstabit, multoq; eximius promittet. Ita enim concludimus cum *Excellent. nostro D. Scharfio*: Quicquid rationem prædicandi suppeditat ad finem Logicæ consequendum, ad judicium syllogisticum, ad discretionem veri à falso: illud etiam directè ac necessariò in Logicis, ac non in nuda quadam præparatio tractatur. Atqui doctrina Synonymorum & Paronymorum hoc ipsum facit. Ergò. Docent enim *Antepredicamenta*, quod res, quæ dicuntur de subjecto, & tamen non insunt in subjecto, prædicentur synonymicè; prout autem insunt subjecto, de quo dicuntur, paronymicè. Qui modi prædicandi ut generalissimi sunt, ita fundantur in prima ὄντων consideratione, quâ primò objiciuntur menti, quâq; considerantur, vel ut ὄντα sunt, vel ut insunt: uti hoc ipsum ex *Aristotele*, & quidem ex *secunda divisione Antepredicamentorum c. 2. §. 2.* collegit ac fusè explanavit *Admodum Reverend. Dn. D. Jacob. Martin. in Colleg. 3. Theol. Theor. disp. 7. tb. 46. seqq.*

ἔπιλυ-

Ἐπίλυσις. Quid ergo erunt *Antepredicamenta*? non nudum
præambulum ad ipsorum prædicamentorum cognitionem utile:
Sed eum declarent instrumenta Logicæ generalissima, per se perti-
nebunt ad Logicam, & essentialem ejus partem constituent.

Quæstio II.

An ÆQUIVOCA rectè fuerint de- finita?

Ἠρόλυσις. Negarunt nonnulli, inter quos *Nicostratum cum
suis sectatoribus* retulit *Simplicius* apud *Masium Comm. in Ante Cate-
gor. Arist. c. 1. q. unic. p. 342.* Et posset argumentum sumi ex hypo-
thesi Aristotelis, qui dicit: *Æquivoca nec cadere sub definitionem, nec
Divisionem 6. Topic. c. 7.* Sed affirmativa est communis: *Conim-
bricensium, Toleti, Masij, Hornei, Hopfneri, Dn. D. Martini, Dn. D.
Scharffij aliorumq; omnium.*

Ἀνάλυσις. Omissis aliorum distinctionibus æquivoca con-
sideramus *vel formaliter*, h. e. quatenus unum sortiuntur, & con-
veniunt in quodam generali, ratione scil. essentiali: *vel materiali-
ter*, quando non secundum generalem considerationem, sed ipso-
rum æquivocatorum diversitatem sumuntur. Jam dicimus: Æ-
quivoca *materialiter* considerata, pro ipsis rebus nomine ambiguo
expressis non possunt definiiri; bene tamen *formaliter*, in notione
quadam generali, in qua plura æquivocata concurrunt. Sic v. g.
Gallus, quat. est æquivocum, definiiri non potest, quia plures res
denotat: definiiri tamen potest ipsa æquivocatio in se, seu quid
sit, nomen aliquod æquivocum esse. *Objiciunt.* Ubicunq; non
datur unitas significationis, ibi non datur unitas nominis, utpote
quæ ex ipso formali seu significatione pendet. Atqui in æquivo-
cis non datur unitas significationis: Ergo inconvenienter dici-
tur in definitione Æquivocorum, quod habeant unum nomen.
Resp. 1. Albertus Magnus (ut de eo referunt *Tolet. q. unic. de Æqui-
voc. c. 1. Weger. in libr. Categor. q. 2.*) *tria* dixit in nomine quolibet
esse. *Primum* se habere ut *materiam*, scil. sonum ipsum, qui ore
hominis fit. *Secundum* esse *formam*, & hanc esse talem illius soni

configurationem & articulationem, secundum quam varia est vox, homo, leo, capra. *Tertium* esse ipsam significationem, & hanc non esse formam nominis, sed actum secundum, id est, perfectionem consequentem. *Primum* duo scribit esse de naturâ nominis, quibus multiplicatis, nomen ipsum multiplicatur. *Tertium* autem minimè: Hoc n. multiplicato, non variari ipsum nomen. Et sic respondet, æquivoca habere unum nomen, cùm tale nomen sit ejusdem materiæ & formæ. Ea n. quæ ad nominis constitutionem essentialem requiruntur, adesse; sonum videlicet & articulationem. Significatio autem licet sit multiplex, tamen quia sit extra essentialiam nominis, inde unitati vocis obesse non poterit. *Verum* cùm formale omninò sit ipsa significatio, non v. articulatio, uti in libro *περὶ ἑρμηνείας* ex professo docetur: *rectius* nos 2. respondemus, quando distinguimus inter nomen, quod dicitur unum *vel simpliciter*, h. e. & ratione terminationis & ratione significationis, quando datur una significatio. Sic homo est dictio una simpliciter, quia uno modo terminatur & unum significat. *Vel secundum quid*, h. e. tantum ratione terminationis grammaticæ, non significationis. Nomen igitur, cujus mentio facta in definitione, dicitur unum *non simpliciter*; *sed* secundum quid, h. e. quando distinguitur secundum rationem grammaticam. Vide *Hornei. Instit. l. 2. q. 4 p. 140. ab initio.*

Ἐπιλυσις Concludam ergo cum Fr. Toletio: *Æquivoca, si unumquodq; per se sumatur, definiri nequeunt: at si omnia sub hac proprietate universali considerentur, quod æquivoca sunt, definiri possunt: & sub hac etiam optimè superius fuere definita.*

Quæstio III.

An vocabula AMBIGUA ambiguum ubiq; faciant orationem?

Πρόλυσις. Affirmant quidam malè feriati homines ob multiplicem significationem omnium ferè vocum *tum* verborum, *tum* nominum, *tum* dictionum. Ita *Gordon. Huntlaus T. 1. Controv. Epit.*

Epit. c. 7. Negant contra D. Franz. tract. de Interp. Script. S. praef. c. 6. 7. seqq. D. Kesler. Logic. Photin. sect. 4. princip. 7. Dn. D. Scharff. Inst. Logic. l. 1. tract. 1. c. 1. item sub fin. in Prax. Log. l. 2. c. 1. & in problem. Logic. publicè ann. 1644. hic ad calamum dictatis disp. 3. q. 2. 3. & 4.

Ἀνάλυσις. Vocabula considerabimus *vel absolutè*, in se ac nudè extra seriem orationis: *vel respectivè* ac determinatè ratione certi loci. Quando *absolutè & in se* considerantur, possunt ac solent esse æquivoca: sed quando *in certo loco*, adjuncta epithera ac descriptiones sæpissimè palam faciunt, in quâ acceptione vox usurpetur, ut ita ambiguitas removeatur. Et hoc est, quod Logici dicunt, *Homonymiam in conjunctione & collatione terminorum s. in contextu sermonis perire à connexis, ab annexis particulis atq; dictionibus, ab adhibitis descriptionibus vel determinationibus, à scopo dicentis, ab objecto tractationis, à serie orationis, ab oppositione dictorum, ab equipollentibus vocumq; permutatione, ab antecedentibus, consequentibus, alijsq; circumstantijs.* Quæ quidem non circa nomina modò & verba notari volumus, sed & circa particulas dictionesve quasvis. v. g. particula *ATQVE* non tantùm *connexiva* est, sed quoq; *disgregativa*, quin adverbialiter significat *statim, vehementer &c.* nec propterea obscurum est, quid in quoquo loco notet, cum dicitur: *Aliter ego feci atque tu.* Significat n. *aliter quàm tu.* Item *Cic. l. 14. Epist. 4.* Si hoc fuit liberis nostris gravius nos vivere, cætera, quanquam ferenda non sunt, feramus. *Atque* ego, qui te confirmo, ipse me non possum. Correctio est, q. d. *sed* ego, qui te confirmo &c. *Terent.* Mihi quidem hercle non fit verisimile, *atq;* ipsis commentum placet, q. d. *tamen* ipsis. Sic significat *statim* in hisce *Virgilij* verbis:

— *Qui adverso vix flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.*

*Et in illo: Hûc mihi dum teneros defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper devoraverat: atq; ego Daphnim
Aspicio.*

Ἐπιλυσις. Concludimus ergò, vocabula, aliàs absolutè ambigua, in ipso loquendi genere & integris orationibus non manere.

nerè talia. adeoq; nec suà naturà semper & ubique dubium facere orationis sensum, multò minus quamvis sententiam in diversos vel etiam contrarios sensus verti posse.

Quæstio IV.

An dentur UNIVOCA accidentalia?

Πρόλογος. Ita docent *Conimbr. in Com. sup. Org. Arist. l. 1. q. 1. Masius Com. in Ante Catogor. c. 2. obser. 5. in schol. Et q. unic. in respons. ad tertium, Spindler. Inst. Log. l. 1. disp. 1 c. 2. & omnes illi, qui unitatē conceptu aut quamvis rationem essentiæ sufficere statuunt ad Univocationem: Taret. in Sum. Petri Hispan. Arnold. dell'ing. Fofeca, Baranzã. Dominic. de Bannes, Hurtad. de Mendoza, Philipp. Dutricu tract. 1. part. 1. cap. 1. art. 9. Kekerm. l. 2. Syst. Log. sect. post. c. 1. Sed negant ex Arist. l. 1. Categ. c. 1. Et l. 1. prior. analyt. c. 27. Smiglec. in disp. 6. Log. q. 4. Ruvio Rodens. in Comm. ad libr. Categor. c. 1. Arnif. in notis ad Log. Crell. Nicol. Hunnius in Cam. Log. c. 2. D. Hopfn. in lib. Categ. p. 115. Hornei. Exerc. Log. 2. thes. 53. & l. 2. Inst. Log. q. 5. Guiliel. Hilden. Com. in Organ. Arist. ad lib. Categor. citati ab Excell. D. Scharff. in Lima Log. Hamb. c. 2. p. 38.*

Ἀνάλογος. Pro quæstionis determinatione sciendum, quid illi vocent *Univoca accidentalia*, & quâ ratione λόγον τῆς εἰσίας τῶν αὐτῶν in definitione explicent. Quemadmodum a. *essentiale univocum* vocant, quod convenit secundum nomen & naturam à suis inferioribus essentialiter participatam, ut *animal* in relatione ad hominem & brutum: Ita *accidentiale* ipsis est, quod convenit secundum nomen & naturam, sed accidentariò tantum participatam. Quale Univocum est *risibile*, prout tribuitur Petro & Paulo: *albedo*, cygno & parieti: Hinc prædicationem *Synonymicam* eatenus solum hinc concedunt, quatenus *homonymicæ*, non a. *paronymicæ* opponitur. Kekerm. l. 2. syst. Log. sect. 2. c. 8. Verum temerè hæc finguntur, & absq; omni fundamento dicuntur. Rectè Dn. D. Martini in prælect. Antikekerm p. 547. Nullum in universis Aristotelis scriptis demonstrabunt locum, in quo synonymicæ prædicatio in hac significatione accipiatur. Certum omninò est, quod in Antepredicamentorum doctrinâ & usu Logico Homonymis opponantur non præcisè & adæquatè Synonyma, sed conjunctim hæc duo: Synony-

nonymum & Paronymum. Nullo modo ergo exinde sequitur, Synonymum nihil aliud esse, quam proprium & distinctum significatum, aut synonymus prædicari nihil aliud esse quam proprie dici. Quin potius hoc exinde colligimus, conceptum universalem $\sigma\upsilon\nu\omega\nu\acute{\omicron}$ esse τὸ *habere respectum essentialem*, vel, ut accuratius loquamur, *dicere ipsum esse rei*, adeoque aptitudinem prædicandi talem, ut per actum menti essentialiter cum alio disponi possit. Λόγος enim τῆς οὐσίας dicit rationem substantiæ internam & essentialem, quæ ad essentialiam subjecti pertinet, & sic ejus quoque definitio. Unde argumentamur: Quæcumque non dicunt ipsam rei essentialiam, neque prædicantur in quid, & definitivè: illa non sunt Univoca. Atqui τὸ *risibile* respectu Petri & Pauli, *albedo* respectu Cygni & parietis non dicunt ipsam rei essentialiam, nec prædicantur in quid & definitivè: Ergo non sunt univoca.

Ἐπίλυσις. Concludimus ergo, quod definitionem attribue-
re subjecto in synonymis sit essentialiter definire subjecta, seu essentialiam subjecti explicare definitivè. Quæ cum in Paronymis non reperiatur, utpote, ubi rei significatio neque definitio quidditativa, neque conceptus quidditativus est, sed forma accidentalis, relinquitur, malè *Univoca in essentialia & accidentalia* fuisse distincta atque divisa.

Quæstio V.

An prioritas & posterioritas UNIVOCATIONEM veram tollat, ac propriam ANALOGIAM constituat?

Ἐπίλυσις. Negant Ruvio tract. de Analog. n. 39. fol. 161. col. 2. prob. 3. Carol. de Racon. tract. 2. de Categ. q. 4. a 2 p. 63. seqq. Hurtad. de Mendoza disp. 9. Log. sect. 4. subs. 4. Smiglec. disp. 6. Log. q. 2. & 3. Weger. in lib. Categ. de Univ. q. 3. Affirmant contra Javel. l. 4. Met. q. 1. Socin. l. 4. Met. q. 4. Mas. disp. de Ente sect. 1. q. 1. 2.

B

& 3.

Et 3. Verfor. l. 4. Met. q. 1. Suarez. diff. 28. Met. f. 3. Et diff. 32. f. 30.
Fonseca l. 4. Met. c. 2. q. 1. sed. 9. seqq. Toloz in op. 4. Andapr ad. q. 1. Dn. Dr.
Martin. part. Met. l. 2. f. 4. q. 1. Et Exercit. Met. l. 2. Exerc. 1. theor. 2.
Dn. D. Scharff. Theor. transp. para. spec. diff. 1. q. 1. Scheib Metaphys Spec.
c. 1. art. 3.

Avā Avōnc. Prioritas & posterioritas datur duplex: Una di-
gnitatis & excellentie, quæ in Analogis inæqualitatis, ut vocant
Scholastici; & reperitur in generibus suarum specierum, in qua-
rum unā natura generica perfectius esse habet, quā in aliā, ratio-
ne perfectioris differentie. Sic *animatum* analogum est inæ-
qualitatis ad plantam & sentiens, itemque *animal* in respectu ad
hominem & brutum. Altera *natura & dependentie*. Prioritas
quod concernit, ea certe univocationem tollere non potest, nec
veram analogiam inducere. Quia, quæ nomen habent idem, &
rationem substantie nomine communi significatam eandem, illa
sunt synonyma. Ast ea, in quibus datur ejusmodi prioritas &
posterioritas, & analogia inæqualitatis appellantur, sunt talia.
Ergo sunt simpliciter univoca. Minor probatur. Nam ex defi-
nitione eorum, quæ talem habent inæqualitatem, patet, &
nomen, & rationem substantie nomine accommodatam esse u-
nam in se & ex æquo omnibus inferioribus competentem, licet di-
versitas quædam differentiarum adsit, utpote quæ, uti in ratione
generis præcisâ non occurrit: ideo univocationi quoque obesse
non potest, nec analogiam inducere. *Posteriorem* quod attinet,
prioritatem scil. & posterioritatem nature ac dependentie, quam in-
trinsecam & propriam analogiam appellant, quando videlicet
substantie ratio, nomine communi significata, est intrinsecè in o-
mnibus inferioribus; uni autem competit *per prius nature, in de-
pendenter, principatim*; alteri *per posterioras nature ac dependenter ab
alio*: eâ sanè univocatio tollitur, ac analogia inducitur. Nam
De ratione *Univoci* est, ut ratio præcisâ *equaliter sine ordine* ab
inferioribus participetur: Quando g. participatur cum ordine a-
liquo, non est univoca, sed analogica. Hinc *Ens*, cum depen-
dentiâ quadam ac ordine de Deo & creaturis, substantiâ & acci-
dente dicatur, & creaturæ sive accidentia non participant ratio-
nem

nem Entis, nisi in habitudine ad Deum sive substantiam, merito analogum dicitur. 2. Quæ sunt in substantiæ ratione partim eadem, partim diversa; illa sunt analogæ: sed quæ habent hanc prioritatem & dependentiam, habent rationem partim eandem, partim diversam: eandem in se, diversam in respectu ad inferiora, à quibus inæqualiter participatur, ab uno per prius, ab altero per posterius & dependenter. Ergo sunt analogæ.

Επιλυσις. Cum igitur ordo ac dependentia inferiorum cum Univocatione stare non possit, rectissime eam tollere ac veram analogiam constituere dicitur.

Quæstio VI.

An omne CONCRETUM sit Adjectivum, et omne ABSTRACTUM Substantivum?

Προ'λυσις. Affirmant Dn Philippus in suis Exercitiis Dialecticis, Dn. Lossius l. 1. Dial. p. 10. Negant Dn. D. Martini l. 1. Ped. Log. c. 14. Dn. D. Scharff. Instit. Log. præog. de Terminis in genere p. 62. not. 1.

Αναλυσις. Ad quæstionem hanc decidendam ex doctrinâ de Terminis repetendum est, quid propriè sit Concretum, & quid Abstractum. Concretum est, quod cum alio concrevit, & compositum significandi modum habet. Hinc in quolibet Concreto occurrunt 1. Subjectum quod denominatur. 2. forma, quæ denominat, & 3. denominativum, denominans simul formam & subjectum. Ut cum dico: Homo est albus habeo 1. subjectum, quod est homo 2. formam, quæ est albedo. 3. denominativum, quod est album. Abstractum autem est forma simplex, quæ nominatur res simplex, ut albedo. Jam dicimus, propriè loquendo non omne concretum esse adjectivum, nec omne abstractum substantivum. Contingit enim, ut
in Lo-

in Logicis accuratis locutionibus *Adjectivum* interdum *substantivè* sumatur, quod sanè Græcis usitatissimum est, ut τὸ πρῶτον, pro ἡ ποσότης, τὸ ποιόν pro ἡ ποιότης. Sic in Genere Fœminino: ἡ Φυσική, ἡ ἠθική &c. Quæ omnia *substantivè* intelliguntur, licet sint Grammatica *adjectiva*. Imò si vel maximè concedendum esset, omnia *adjectiva* esse *concreta*, non tamen exinde sequitur, quod tantum *adjectiva* sint *concreta*, & tantum *substantiva* *abstracta*. Quandoquidem multa dantur *substantiva*, quæ tamè reverà *concreta* sunt, ut: Pater, mater, filius, soror, servus, Dominus, Rex, preceptor, subditus, Consul & infinita alia.

Ἐπιλυσις. Ultrò ergò sequitur, *Concretum* Logicis non idem esse, quod Grammaticis *Adjectivum*; & *Abstractum* Logicis, quod Grammaticis *substantivum*: nisi terminos istos ὡς ἐν τούτῳ, ut loquitur Philosophus, vellemus usurpare, & tanquam notis quibusdam, quæ ut plurimum veræ sunt, adumbrare.

COROLLARIUM.

An hæc argumentatio probe sit moneta?

Solum rationale est risibile,

Solus homo est rationalis, E.

Solus homo est risibilis

Nos negamus. Rationem postulanti in discursu dabimus.



05 A 1648

ULB Halle

3


003 778 770



Werra







Cum Jesu! 28

DISPUTATIO LOGICA
De
ANTEPRÆDICAMENTIS,


Quam
IN FLORENTISSIMA WITTEBERGENSI
ACADEMIA,

PRÆSIDE
M. DAVIDE GROSIO MITT-
WEIDA-MISNICO,

PUBLICÆ AD DISPUTANDUM
PROPONIT

FRIDERICUS SCHINDTLERUS
Fravvensteinensis Misnicus.

Ad diem 29. Januar. horis antemeridianis,
In Auditorio Minori.



WITTEBERGÆ

Typis MICHAELIS Wendt Anno M DC XLVIII.